

.....

DE SIMPLICIUM USTIONE.

ALUMINIS USTIO.

Rx. Aluminis crudī quantum volueris.
Mitte in patinam ferream vel fictilem non vitratam.
Igne nudo calcina.

Vide etiam, *SPIRITUS ET PHLEGMA ALUMINIS*, in hoc Codice descripta.

PLUMBI CALCINATIO,
unde CALX sive PLUMBUM USTUM.

Rx. Plumbi crudī libram unam.
Inde patellæ terreæ non vitratæ. Patellam pone super carbonibus accensis, ut plumbum liquefiat. Rudiculâ agita, & horæ dimidiæ spatio abibit in pulverem subnigrum, & erit plumbum ustum. Si continuetur ignis, pulvis evadet flavus.

SPONGIÆ USTIO.

Rx. Spongiæ nondum in usum vocatæ, in clibano exsiccatur, & ab arenulis repurgatur
quantum volueris.
Crema igne aperto per horam in ollâ fictili coopertâ non vitratâ. Pulvera, & serva.

Non absimili modo uruntur

- Pili Leporis,
- Pila marina,
- Hirundines,
- Bufones,
- Canceri fluviatiles;
- Talpæ,
- Erinacci.

Rx.
B ij

SPODIUM SIVE EBUR USTUM.

Rx. Eboris frustula quot volueris.
Mitte in ollam fictilem non vitratam. Combure ad
albedinem in fornace. Tere in mortario marmoreo, & super
marmore læviga, instillando aquam rosarum, & inde for-
mentur trochisci.

Simili modo parari potest
Cornu Cervi.

PRÆPARATIO LAPIDIS LAZULI.

Rx. Lapidis Lazuli electi quantum volueris.
Candescat inter prunas. Aquâ communi extingue.
Semel atque iterum id repete. Posthac supra porphyritem
læviga cum aquâ borraginis.

Simili modo parari potest

Lapis Judaicus,

Armenus,

Calaminaris,

Tuthia,

Pumex.

TORREFACTIO RHEI.

Rx. Rhei electi pulverati quantum volueris
Mitte in patinam argenteam vel ferream. Impone
igni moderato, identidem spathâ movendo, donec fuscum
colorem acquisiverit. Serva ad usum.

Simili modo torrefiunt

Myrobalani.

COCTIO SCYLLÆ.

Rx. Scyllas recentes, ablatis corticulis exterioribus &
radicibus, quot volueris,

Singulas farinâ aquâ subactâ involve, deinde in clibano coquantur, donec festucâ penetrari se sinant. Tum singularum squammæ crustâ nudatæ, demptis membranulis, pin- sentur, & per setaceum trajiciantur.

SCYLLÆ EXSICCATIO.

Rx. Segmenta scyllæ, ea nempe quæ media sunt corticem inter & cor. Filo trajice à se invicem discreta. Tum in umbrâ exsiccantur.

DECREPITATIO SALIS.

Rx. Salis marini quantum volueris. Projice per viçes in ollam fictilem non vitratam, candentem, vase cooperto. Fiat decrepitatio.

SPONGIA PRÆPARATA.

Rx. Spongiæ substantiæ tenuis, vulgo *Eponge fine*, exsic- cata & ab arenulis repurgata quantum volueris. Cere flavæ liquefactæ immerge, & prælo fortiter exprime. Frigefactam exime.

